



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1859**

XXVII. Bischof Thomas von Ammanatis, päpstlicher Nuntius, trennt auf Antrag des Kaisers Karl IV. die Pfarrkirche zu Tangermünde von der Propstei zu Stendal und verbindet dieselbe mit dem vom Kaiser ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54934)

XXVII. Bischof Thomas von Ammanatis, päpstlicher Nuntius, trennt auf Antrag des Kaisers Karl IV. die Pfarrkirche zu Tangermünde von der Propstei zu Stendal und verbindet dieselbe mit dem vom Kaiser auf dem Schlosse zu Tangermünde gegründeten Stifte, im Jahre 1376.

Vniuersis presentes literas inspecturis Thomas de Ammanatis, Electus Nymecien-  
fis, Apostolice Sedis Nuncius, ab eadem sede ad infra scripta Commissarius specialiter deputatus  
salutem in eo qui salutem humano generi icta morte reparauit. Sedis Apostolice cunctarum eccle-  
siarum pie matris prouidencia circumspecta nonnumquam que hactenus prouide fuerant certo limite  
terminata certaue sine conclusa, in alium statum reducit et reuocat, pro varietate temporum et cau-  
sarum: ab experto quidem agnoscitur, quod uno tempore certaue causa decernitur utile, hoc mu-  
tato tempore nouaque causa inutile indicatur, et ut mutetur, debet presidentis circumspectio fauora-  
biliter annuere. Hinc est, quod Sanctissimo in Cristo Patri et domino nostro Gregorio, Sacro  
Sancte Romane ac Vniuersalis Ecclesie moderno Summo pontifici, nuper exposito pro parte Sere-  
nissimi Principis et inuictissimi Domini, Domini Karoli, Romanorum Imperatoris, Semper  
Augusti ac Boemie Illustrissimi Regis, Noui Canonorum Collegii in Castro Tangermunde Halber-  
stadtensis Dyocefeos infra Marchiam Brandenburgensem, Regno Boemie unitam, constituti fundatoris,  
quod ex eo, quod parochialis ecclesia ipsius oppidi Tangermunde a diu ante dicti noui Collegii  
ereccionem fuerat et erat Collegio alteri in opido Stendal ibidem vicino ejusdem dyocefeos, seu  
ipsius Collegii in Stendal prepositure vnita et incorporata, nonnullae lites, questionesque oriebantur  
cotidie et hactenus orte erant inter ipsa Collegia seu eorum prelatos tam noui Collegii in Castro  
Tangermunde quam alterius Collegii in Stendal predictorum, que facile sedari seu tolli non  
possent, nisi prouideatur aliter de opportuno remedio circa dicte Parochialis Ecclesie diuisionem;  
Idem Sanctissimus in Cristo Pater et dominus noster Papa ad supplicationem ipsius Serenissimi Prin-  
cipis Domini Imperatoris commissionem nobis fecit specialem, quatenus — nos auctoritate apostolica  
dictam parochialem ecclesiam sitam in opido Tangermunde cum suis iuribus et pertinentiis uni-  
uersis, si nobis expedire videretur, disuniremus et ab unione dissolueremus penitus et in totum a  
dicto Collegio in Stendal seu eius prepositura et ab eorum omnimoda proprietate et incorpora-  
tione quacunq; sic tamen et taliter, quod de bonis ipsius domini Imperatoris fieret debita recom-  
pensa, nostro arbitrio dicto Collegio seu prepositure in Stendal equiualens his fructibus, redditibus  
et prouentibus, qui ex dicta parochiali ecclesia ratione dicte unionis erant ipsi Collegio seu ipsius  
prepositure soliti prouenire, pro quo nostram conscientiam specialiter honorauit, et ex tunc dictam  
ecclesiam parochialem in Tangermunde cum omnibus fructibus, iuribus et pertinentiis suis dicto  
Collegio nouo in Castro Tangermunde eadem auctoritate apostolica uniremus et incorporaremus,  
sic tamen, quod cura ipsius parochialis ecclesie et parochianorum, siue regatur et administretur per  
prepositum dicti Collegii, seu alium nomine et vice sui, et quod eidem preposito propter administra-  
tionem dicte cure, de fructibus, redditibus, iuribus et prouentibus ipsius parochialis ecclesie certa  
porcio nostro arbitrio debeat deputari, reliquis omnibus fructibus, iuribus, redditibus et prouentibus  
ipsius parochialis ecclesie apud Collegium per nos dimissis et deputatis ad augmentum diuini cultus  
et personarum Deo deseruentium in eodem, prout hec in literis apostolicis, Commissionem hujus-  
modi nobis factam continentibus lacius comprehenduntur. Nos igitur volentes mandatum aposto-  
licum et commissionem hujusmodi domini nostri Pape vt tenemur exequi reuerenter per presens et  
ante omnia pro parte dicti Domini Imperatoris, cuius instantia debita requisiti relationem de con-

tentis in expositione, ut premittitur, domino nostro Pape fecimus diligentem et per examinacionem testium fide dignorum ac eorum relationem veridicam repperimus verum esse, inter dicta collegia seu eorum prelatos propter dictam vnionem Jurgia et rancores quam plurimos cottidie suscitari, quibus aliter non posset commode obuiari, nisi circa dictam vnionem de opportuno remedio succurratur, qua informacione suscepta, quia pronunc ad dicta Collegia nos transferre personaliter non valemus, ut tam de vero valore annuo Jurium, fructuum, reddituum et prouentuum ipsius parochialis ecclesie, quam de recompensa ipsi Collegio in Stendal predicta ratione dicte parochialis ecclesie facienda possemus plenimode informari, nolentes propter nostram instantem absenciam dictis Collegiis preiudicium amplius generari, presertim cum et prepositura ipsius Collegii in Stendal, cui vnita pretenditur dicta parochialis ecclesia in Tangermunde, ad presens vacare dignoscatur, sitque de patronatu ipsius Domini Imperatoris racione Marchie Brandenburgensis supradicte, sumpta personaliter ab ipso serenissimo principe Domino Karolo Imperatore predicto promissione plenaria de recompensa ex integro facienda dicto Collegio in Stendal seu ejus prepositure de altera ex parochialibus ecclesie ex Vicino de suo patronatu ratione dicte Marchie Brandenburgensis existentibus et habentibus equiuales fructus, redditus et proventus annuos, prout habet dicta ecclesia parochialis in Tangermunde, si tamen hoc Domino nostro Pape placuerit, alias quod de bonis redditibus suis propriis nostro arbitrio recompensam faciet condecentem, nos dicta promissione prehabita sub ipsius modificatione ac sub conditionis ipsius existencia ac non aliter neque vltra, prefatam parochialem ecclesiam in Tangermunde, cum Juribus et pertinentiis suis vniuersis, auctoritate apostolica qua fungimur in hac parte, disunimus suis ab vnione et incorporatione dicti Collegii in Stendal seu ipsius Collegii prepositure ac ipsius Jure et proprietate quacunque, pretextu dicte vnionis seu incorporationis dudum facto, removimus ac relaxauimus, ac ipsas vnionem et incorporationem dissoluimus ac dissoluta esse volumus penitus et in totum, tenoreque presencium disunimus, relaxamus ac dissoluimus et esse volumus penitus dissolutas, Ipsamque parochialem Ecclesiam in Tangermunde, sic ut premittitur, per nos disunitam, relaxatam et dissolutam ab vnione et incorporatione dicti collegii Stendal seu eius prepositure, de nouo, auctoritate eadem apostolica sub modificatione et condicione predictis, si recompensacio debita dicto Collegio in Stendal seu eius prepositure ut predictum est fiat et non aliter nec vltra, uniuimus, dedimus et incorporauimus ac tenore presencium unimus, damus et incorporamus cum Juribus et pertinentiis suis vniuersis prefato nouo Collegio in Castro Tangermunde, nouiter per dictum Dominum Imperatorem fundato, sic et taliter quod omnia et singula eius Jura ac vniuersi fructus, redditus, proventus et obuenciones quecunque spectent et pertineant et pertinere ac spectare volumus pleno Jure ad Capitulum ipsius noui Collegii et per ipsum Collegium seu eius auctoritate leuentur, colligantur et percipiantur pro augmentacione cultus diuini et personarum Deo deseruiencium diebus singulis in eodem, prout est per nos inferius annotatum. Saluo quod cura ipsius parochialis ecclesie ac suorum parochianorum ac ipsius parochialis ecclesie et personarum ipsius quarumcunque et ejus cure totius regimen ac administratio atque correctio spectet et pertineat et sic spectare et pertinere volumus solum et in solidum ad prepositum dicti collegii, quod est vel erit pro tempore per se uel per alium regenda vel administranda, ad quem eciam cura et correctio dicti ecclesie Collegiate et ipsius Collegii et personarum eiusdem pertinere noscitur et spectare, pro cuius quidem ecclesie et cure regimine et administratione de ipsis fructibus, redditibus et prouentibus ipsius parochialis ecclesie damus et assignamus et tenore presencium dari volumus et assignari preposito predicto decem sexagenas grossorum Boemicalium annuatim per Capitulum persoluendas, vltra prebendam, quam idem prepositus in dicto Collegio no-

mine prepositure habet percipere seu leuare, reliquos autem omnes fructus, redditus et prouentus recipi et leuari volumus ut premittitur per Capitulum sepedictum seu eum, cui annis et temporibus singulis decreuerit seu commiserit ut leuentur. Volumus autem et nostre intencionis existit, quod reliqui fructus, redditus et prouentus in distributiones cottidianas conuertantur illis Canonicis et personis dicti Collegii duntaxat assignandas pro hiis diebus et horis, quibus diuinis eos contigerit interesse et non aliter nec ultra. Quam quidem diuisionem seu distributionem — — mensibus seu sex mensibus — — volumus per Canonicos et Capitulum ante dictos sepe, quo eorum in domino conscienciam oneramus, retinentes nobis tenore presencium plenimodam potestatem super dicta distributione cottidiana ordinandi, prout nobis si presencialiter ad dictum Collegium — — — — atque fidem presentes litteras per notarium publicum infra scriptum scribamque nostrum scribi et publicari mandauimus et sigillo nostro, quo quidem diu sacri Palatii apostolici Causarum Audit — — — — Acta in opido Nurenberg, Bambergensis Dyoceleos, in hospicio seu domo habitacionis discreti viri Vlrici dicti Stromer, oppidani predicti opidi, Anno a natiuitate dominica Millesimo trecentesimo Septuagesimo sexto, Indictione quarta decima — Pontificatus sanctissimi in Cristo Patris Domini nostri Domini Gregorii diuina prouidencia pape undecimi anno sexto, etc.

Gercken's Dipl. II, 260 — 270.

XXVIII. Kaiser Karl IV. stiftet ein Domstift in der Johanniscapelle auf dem Schlosse zu Tangermünde, am 13. Juni 1377.

Karolus quartus, diuina fauente Clemencia Romanorum Imperator et Bohemie Rex. Ad perpetuam rei memoriam. Dum inter archana pectoris nostri rite reuoluimus, dum oculis mentis prouida deliberacione conspiciamus, dumque Consciencie testimonio ponderamus, quanta virtute quantaque gracia nec non mirifica bonitate Deus omnipotens, cuius nutu reguntur celestia cum terrenis, misericorditer nos respexit, qui nostrum multorum annorum per spacia felicibus incrementis statum et nomen graciose pronexit, elegantissimis nos dotauit heredibus ac illustribus principibus, dominiis atque terris peculiare regnum nostrum Bohemie in diuersis locorum finibus magnifice dilatauit; Certe tanto forcius diuine Clemencie nos obnoxios et debitores inuenimus, quanto peramplius nobis ab eo non meritis nostris hec et alia beneficia liberaliter collata sentimus. Et ne de tantis large gratisque donatis et acceptis donariis obliuio vel ingratitude nos arguat, dignum intencio nostre mentis existimat et consonum arbitratur, ut ei, cuius sunt omnia, quique de nemine vnquam indigenciam vllam habet, graciaram debitas actiones agamus, et in eius laudem et gloriam cultum diuini nominis de bonis temporalibus, quibus lucrantur eterna, nobis ab eo collatis, deuocius augeamus. Ad laudem igitur, gloriam et honorem Omnipotentis Dei, nec non itemerate genitricis eius et Virginis sancte Marie in Castro Tangermunde super Albee fluuio, Dioceosis Halberstadenfis, in quo nos et heredes nostri Marchiones Brandenburgenses ab ista parte Albee in antiqua Brandemburgenfi Marchia tenemus domicilium principale, de sciencia et consensu Venerabilis Alberti, Halberstadenfis Episcopi, loci eiusdem Ordinarii, principis deuoti nostri dilecti, Capellam de nouo erigi et magnifici operis, preciosorum et aliorum lapidum ornamento fulcitam pro-